


TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

DYSPEPSIA.



TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
DYSPEPSIA.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS FLETCHER,

HIBERNUS.

“ Sincerum est nisi Vas, quodcumque infundis, acescit.”

HORACE.

Ad diem 13. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

Viro admodum spectabili

HENRICO FLETCHER

HARONETTO

De CIRA HALL, in

Agro Cantuariensi

Uni e Senatibus Britannicis

Animo probo, honesto, benevolis

Ac

Moribus integerrimis

Ingenuis

Et Omnibus

Quae ingenium praeclarum nominem

Orant, faciantque

Prædico

Optime in te tuoque collata beneficia

Haec studiorum in medicina primarum

Ut parvum animi haud parvum ingratum testimonium

Sacras esse voluit

JACOBUS FLETCHER

Viro admodum spectabili

H E N R I C O F L E T C H E R,

B A R O N E T T O,

De C L E A H A L L, in

Agro Cumbriensi,

Uni e Senatoribus Britannicis,

Animo probò, honesto, benevolò,

Ac

Moribus integerrimis,

Insignito,

Et Omnibus,

Quae ingenuum probumque hominem

Ornant, faciuntque,

Praedito,

Ob plurima in se suosque collata beneficia,

Hæc studiorum in medicina primitias,

Ut parvum animi haudquaquam ingrati testimonium,

Sacras esse voluit

J A C O B U S F L E T C H E R.

Viro solummodo spectabili

INVENTAM MEDICINAM

DARONETIO
IN AUCURALE
DE CURA HALLI

DE

Utrum...

DYSPEPSIA

QUONIAM morbi chronici, oblatari-
one medici immortalis Sydenhami, con-
stunt partem tam magnam morborum isto-
rum, a quibus affiguntur mortales; et ex his,
nulliquam ventriculi affectiones tam frequen-
ter occurrunt; hoc vero non nobis videbitur
instabile, si modum, in quo pars major generis
humani, hinc temporibus vivit, consideramus.
Præcipue utpote ventriculus organum est, tam
mita sensibilitate præditum, et a contentu gene-
rali, quem cum toto systemate possidet, tam est

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

DYSPEPSIA.

QUONIAM morbi chronici, observatione medici immortalis Sydenhami, constituunt partem tam magnam morborum istorum, a quibus affliguntur mortales; et ex his, nulli quam ventriculi affectiones tam frequenter occurrunt; hoc vero non nobis videbitur mirabile, si modum, in quo pars major generis humani, hisce temporibus vivit, consideremus. Praecipue utpote ventriculus organum est, tam mira sensibilitate praeditum, et a consensu generali, quem cum toto systemate possidet, tam est

obnoxius affici a morbis in reliquis systematis partibus ortum habentibus.

Hujusce morbi definitionem, priores Nosologi quidam, neque accuratam vel perfectam, tradiderunt. Eam vero, quae a Culleno, nuper hujus Almae Academiae Professore eximio, omniumque ad rem medicam spectantium perito, nosologorumque longe praestantissimo, fuit prolata, utpote quae reliquis omnibus accuratior pleniorque esse videatur, adhibere non dubitamus: Sic autem sese habet.

D E F I N I T I O.

‘Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus,
 ‘ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora
 ‘saltem vel plura horum simul concurrentia,
 ‘plerumque cum alvo adstricta, et sine alio vel
 ‘ventriculi ipsius, vel aliarum partium, morbo*.’

HISTORIA

* Cullen, Synops. Nosolog. Gen. XLV. p. 201.

HISTORIA MORBI.

Hicce morbus, plerisque in casibus, aggreditur cum anorexia, nausea, et vomitu. Ventriculus intestinaque distentionibus flatulentis saepe afficiuntur; exinde spasms, dolori, et anxietati, originem praebentibus; aliquando eructationes materiae limpidae putridae, oleosae, vel amarae, e ventriculo dejiciuntur; solida corporis magis laxa et flaccida deveniunt, pallefcit cutis, labiis color aufugit. Aegri vires gradatim minuuntur, sensum habet lassitudinis, et ad omnem motum aversationis, praecipue post cibum assumptum. Cephalalgia et vertigo plerumque occurrunt, quae saepe tam continuas et violentas sunt, ut instar ebrii vacillet aegrotus; animus levibus a causis facile dejicitur; aliquando diarrhoea comitatur, quae nonnunquam ut naturae conamen salutiferum conspici debet; sed pleris-

que in casibus, summa alvi durities doloresque colici adsunt. Ictus arteriarum aliquando tardi, sed plerisque in casibus, crebri, semperque debiles sunt. Sanguinis circuitus languescit, ita ut vix vasa extrema attingere. Facies livescit et tumescit, diminuitur perspiratio, unde cutis siccessit et contrahitur. Aeger sensum frigoris universum, sed praecipue extremorum, conqueritur. Vires magis magisque debiles deveniunt, respiratio acceleratur, anima fit foetida, hebescent oculi, lingua fit albida, materique viscida obtegitur; uvula velumque pendulum palati nonnunquam adeo laxa deveniunt, utpote multum praebere incommodi. Aegrotus, ob somni defectum, multum exhauritur, infomniisque diris perturbatur; aliquando a debilitate magna et irritabilitate canali in alimentario existentibus, cibus saepe ex ano crudus incoctusque dejicitur; febris hectica, fluxusque salivae praeternaturalis, ultima hujusce morbi stadia comitari observatur. Hoc in

statu

statu hydrops generalis supervenit, donec tandem vita profusè inops et miseranda cum optanda morte commutetur.

DIAGNOSIS.

Ut hicce morbus saepe symptoma tantum est aliarum systematis affectionum, summi est igitur momenti, distinctionem facere, utrum affectio idiopathica vel sympathica sit. Morbi, cum quibus confundi potest dyspepsia, sunt hypochondriasis, chlorosis, podagra atonica, schirrusque pylori.

Quae dyspepsiam ab hypochondriasi denotant, praecipue sequentia sunt. Illa temperamentum sanguineum, haec vero melancholicum invadit; qui sanguineo sunt praediti temperamento a colore faciei vivido denotantur. Fibrae sunt illis laxae, capilli molles, vasaque plena, et calorem externum

externum difficiliter ferunt; ad morbos inflammatorios valde sunt proclives, et ad animi et corporis inquietudinem.

Illis vero temperamento melancholico praeditis, vultus est demissus, oculi plurimam ob partem retractati et conniventes. Capilli nigri, cutis rigida valdeque sicca et macra, pulsus parvus et debilis; bilis parca et nigra, motus peristalticus tardus. Homines hoc temperamento praediti semper perturbantur, et magnopere cum invidia et metu vexantur, parum proclives ad iram vel alios animi affectus; sed cum simul sint moti, ultionis sunt cupidi. Praeterquam, in dyspepsia, affectio spasmodica major est, mentisque affectio saepe abest, et, cum praesens sit, fortassis haud ullius est momenti: Dum in hypochondriasi mentis affectio constantior est, et symptomata dyspeptica vel ventriculi affectiones saepe absunt, vel cum adsint, semper leviores.

Animi affectio dissimilis esse videtur duobus in morbis; in dyspepsia tantum sunt languor et timiditas facilliter dispulsi, cum in hypochondriaci fit metus tristis fixusque haud facilliter dimovendus. Appetitus praeternaturalis rei que non esculentae desiderium, menstruorumque retentio in chlorosi occurrentia, eam sufficienter a dyspepsia denotant.

A podagra atonica denotari potest, ex modo subito in quo accedunt symptomata, et ex violentia majori; possumus etiam in iudicio dirigi ex aegro antea hocce morbo affecto, et praesertim si sit dispositio haereditaria.

In schirro pylori, dolor perpetuus fixusque semper comitatur, cum caloris sensu perpetuo; digestio magis impeditur, et vomitio citius a cibo assumpto accidit; major est alvi durities, acor- que ventriculi, quam in dyspepsia unquam observatur.

servatur. Et tumor praeterea non raro plane externe tractari potest, et multis in casibus materies fanguinea vel purulenta a vomitu vel fede dejicitur, quod nunquam in dyspepsia occurrit.

CAUSA PROXIMA.

De hac opiniones variae fuerint oblatae, ut a cruditatibus, nimia mucî quantitate, a praesentia materiei acridae vel biliosae in ventriculo, liquorisve gastrici statu morbido, originem deducente.

A symptomatum consideratione, quae hoc in morbo occurrunt, ab causarum remotarum actione, medendique ratione, quam experientia plurima utilissimam comperit; cum opinione Culleni celeberrimi consentire adducor, quod imbecillitas, atonia, et actio diminuta fibræ in muscularibus

muscularibus ventriculi dyspepsiae sunt causa proxima. Verisimile etiam est, quod mutatio liquoris in gastrici quantitate vel qualitate, diversitatem magnam in digestionis phaenomenis producere potest, et hoc in modo occasionem dare multis phaenomenis morbidis. Veruntamen, utpote mutationes, quibus subire potest liquor gastricus, vel causae, a quibus mutari potest, res sunt tam obscurae; et cum eodem tempore, ventriculi imbecillitas, vel ut mutationi liquore in gastrico originem praebens, vel ex ista mutatione deducta, semper adesse videatur, partemque haud parvam habere in dyspepsiae symptomata efficiendo; ita nobis adhuc licebit ventriculi imbecillitatem, ut causam proximam, et fere unicam dyspepsiae causam, respicere.

C A U S A E R E M O T I V A E.

Hae duobus sub capitibus enumerari possunt:

Causae primae illae sunt, quae directe et immediate

ventriculum ipsum afficiunt ; alterae, istae quae systema in totum agunt, vel in partes ejus peculiare. Sed qua ex causa ventriculus praecipue et fere solum afficitur,

Hae sequenti in tabula enumerantur :

I. Quae in ventriculum ipsum protinus agunt.

A. Sedantia seu narcotica.

- a. Opium,
- b. Liquores spirituosi,
- c. Nicotiana,
- d. Thea et coffea,
- e. Acida, praesertim fermentabilia,
- f. Putrida.

B. Stimulantia.

- a. Aromata,
- b. Cibus plenior,
- c. Vomitus frequens,
- d. Purgatio violens.

C. To-

C. Tonica.

a. Amara, &c. nimis diu continuata:

D. Relaxantia.

a. Liquores calidi.

E. Nimia ventriculi distentio.

a. Cibariis ingestis,

b. Aëre extricato.

F. Stimulorum consuetorum absentia.

II. Causae, quae vel universum, vel systematis
alias partes, primo afficiunt.

a. Animi pathemata,

b. Vita sedentaria,

c. Mentis ad studia vel negotia nimia
applicatio,

d. Temperies frigida, praecipue humi-
ditate conjuncta,

e. Venus nimia,

f. Frequens parturitio,

g. Dispositio haereditaria.

De his singulis, in ordine differemus.

Sedantia seu *narcotica*.—His intelliguntur remedia ista, quae sensum et irritabilitatem systematis imminuunt, et hoc in modo, motus viresque ejus moventes, et cum liberaliter adhibita omnino perdant.

Opium.—Hoc vero vim sedantem possidere, et motum sensumque partium quibus applicatur imminuere, ejusque usu frequenti ventriculi tonum et appetitum valde nocere, omnibus medicinam facientibus satis constat.

Ruffel, ejus in Historia Aleppo, de ejus usu inter Turcas, qui magnis quantitatibus utuntur, ita loquitur :

‘ The immediate effect which I observed it to have upon such as were addicted to its use
‘ was,

' was, that their spirits were exhilarated ; and,
 ' from a dozing depressed state, they became
 ' active and alert. The consequences of a long
 ' use of it are, that they soon look old and ema-
 ' ciated, like such as in Europe have ruined
 ' their constitutions by hard drinking.'

Liquores spirituosii.—Hi, opii in modo, parva
 in quantitate assumpti, et plurima cum aqua
 commisti, non immediate vires sedantes osten-
 dunt ; sed, e contrario, liquores stimulantés,
 cardiacae, et exhilarantes esse videntur. Sed li-
 beraliter assumpti corporis calorem, faciei que
 ruborem adaugent, ictusque arteriarum fre-
 quentiores plenioresque efficiunt. Hisce vero
 excitationis symptomatibus cito subsequuntur ;
 collapsus, systematisque debilitas generalis, quae
 a libero frequentive horum usu semper oriri
 observantur, et ad varios corporis morbos, sed
 ventriculi praecipue, viam sternunt. Horum ex-
 empla

empla innumera quotidie observamus istis in mortalibus miserandis, qui sese istis liquoribus forbillandis fere solum occupant, praeter vires sedantes, multam injuriam ventriculo inferunt; nimium distendendo, acoreque, quem ab aqua et saccharo illis frequenter commixtis, gignunt.

Nicotiana.—Haec effectus narcoticas haud parvas in ventriculum, aliasque quibus applicatur partes, exercet; nam isti, qui magna in quantitate mandunt, formave fumi adhibent, haud facile anorexiam et indigestionem evadere possunt. Hoc a nonnullis a magna salivae consumptione proficisci creditur; et procul dubio aliquo in modo ab hoc oriri potest; sed certe magis vim ad sedantem, quam in ventriculum exercet, attribui debet, et a consensu magno ventriculum inter et fauces existente; nam ii qui pulveris sub forma utuntur, si fortassis pulveris aliquod in ventriculum evadat, praecipue

ante

ante cibum assumptum, perraro signa dyspeptica sentire evadunt. Igitur concludere fas erit, ut nicotiana, quacunq;ue sub forma adhibita, ventriculo semper inimica sit.

Thea et Coffea.—Quod hae vires plane sedantes possident, a multorum experientia satis est notum; ut theae usus his in temporibus omnes inter gentes tam est generalis; hanc ob causam attentionem nostram praecipue meretur. A nonnullis fuit creditum, quod effectus nocivi e thea orientes, ab aquae calidae quantitate in ventriculum assumptae originem deduxerunt. Sed ab experimentis Dr Letsom nobis est demonstratum *, quod effectus ejus sedantes et relaxantes multum pendere videntur, in partem fragrantem et odoram, quae thea in viridi, sed praecipue odorata, abundat. Hoc etiam multum corroborari videtur more illorum, qui Indiam

* Vide Dr Letsom's Experiments on Tea.

diam Orientalem incolunt, usum hujus plantae evitantium, donec saltem unius ob anni spatium fuerit servata, utpote ab illis compertum est, cum recenter usitata vim soporiferam et inebriantem possideat. Dr. Cullen observavit, quod theae usus semper ejus in ventriculo symptomata dyspeptica creavit; sed cum ejus in loco aliquibus herbis indigenis fuerit usus, cum eodem aquae caloris gradu, nullam expertus fuerit injuriam; thea utendo decocti sub forma, infusi loco, effectum habet principium ejus odorem dissipare, salubrioremque igitur reddere. Bibi etiam oportet frigidam magnaue lactis quantitate commixtam.

Putrida.—Ut haec vi quam maxime sedante sint praedita, ventriculi que functiones multum laedunt, omnibus satis est notum. Alimenti corruptio oriri videretur a ventriculi statu morbidissimo, liquoris gastrici conditionem mutante, inefficacemque

ficacemque ad digestionem rite perficiendam
efficiente; nam ab Spallanzani experimentis
nitidis * demonstratum est, cum hicce liquor
quantitate in naturali et qualitate adfit, non
solum fermentationi putridae occurrere potest,
sed etiam cibum jam putrescentem statum ad
salutarem reducere.

Acescentia.—Haec a proclivitate, quam ad
fermentationem habent, praesertim cum vires ad
concoctionem impares sint factae, fermentatio-
nem vinosam vel acetosam in ventriculo efficere
sunt obnoxia, et hoc in modo omnia sympto-
mata augere. Haec fermentatio ab exiguae li-
quoris gastrici in ventriculo quantitatis prae-
sencia oriri videretur.

Stimulantia.—Haec majorem in ventriculi fi-
bris muscularibus contractionem excitandi, fa-
ciant.

* Vide Spallanzani on Digestion.

cultatem habent, et, modice adhibita, remedia hoc in morbo fiunt utilia; effectus illorum nocivi oriri viderentur a fibrarum muscularium hujus organi actione aucta. Nam similiter ad quod reliquis in corporis partibus accidit, actio aucta semper cum ejusdem diminutione comitatur; hac igitur a causa remediorum istorum actio explicari potest.

Aromatica.—Haec plane fibris ventriculi motibus stimulo sunt; et igitur ad contractiones majores cieunt. Actio igitur illorum eadem ut stimulantium ratione explicari videretur.

Cibus plenior.—Hujus praecipue effectus a ventriculi distentione nimia oritur, vel alimenti mole (propter calorem) aucta, vel ab aëris quantitate extricati, quarum utraeque a stimulo, quem fibris in muscularibus excitant, potestatem tonum ejus nocere habebunt.

Vomitio frequens.—Haec motum peristalticum augendo, repetitas magnasque contractiones excitando, viribus ejus (ob rationes supra memoratas) non obesse non potest; praeterea a nonnullis est creditum emetica vim sedantem habere.

Purgatio violens.—Haec effectus suos nocentes praebet, motum intestinorum peristalticum augendo, tonumque illorum debilitando; a nexu igitur arctissimo magnaue ventriculum inter et intestinos sympathia existentibus, alterius affectiones cito ad alterum communicari plane videbitur.

Tonica.—Hujusmodi sunt amara. Haec saepe dyspepsiae in curatione prospere adhibentur; sed illorum usus continuus ventriculi, totiusque systematis tonum, perdere saepe fuit observatus. Igitur horum in remediorum exhibitione medicus

dicus non diu persistere debet; sed illorum ab usu per tempus aliquod desistere; et si commodum sit remedia ista iterum adhibere, plus commodi illorum ab usu hoc in modo quam aliter obtinebit. Utrum effectus nocivi a repetitione mera operationis tonicae, vel a vi aliqua narcotica cum his conjuncta, oriuntur, incertum est.

Relaxantia.—Hujusmodi sunt *liquores calidi*; utpote potus frigidus, frigorisque applicatio corporis ad superficiem, cum non nimis intensa sint, ad tonum ventriculi roborandum multum inferviunt; igitur evidenter apparebit, ut liquores calidi tonum ejus nocere atque debilitare multum inferviant.

Stimulorum consuetorum absentia.—Qui vero ventriculum alicui stimulo consueverunt; e. g. si homo aliquot vini cyathos quotidie post prandium bibere solitus sit; si ullo tempore fumere

neglex-

neglexerit, signa dyspeptica semper conquerere solet. Defectus ullus in salivae, succi pancreatici, liquorisve gastrici quantitate, vel fortassis qualitate eorum mutata, bilisve in intestinis defectus, qui in ictero saepe occurrit, functiones ventriculi multum perturbant.

II. Quae in totum corpus, vel in alias ejus partes et functiones agunt, effectusque ventriculô impertiunt.

Vita sedentaria.—Nihil tam aversum esse potest hominis indoli et naturae propositis, ut vita sedentaria et ignava; tamen major generis humani pars hunc numerum complectitur; nam nihil est certius solidorum relaxationem generalem inducere, variosque ad morbos viam sternere, sed praecipue ad ventriculi affectiones, quam vita ignava, utpote, ventriculus organum est tam mirabili sensibilitate praeditum, et tam obnoxium

alios

alios systematis affectus participare. Tales affectiones saepe plebem inter accidere observamus, quorum permulti e necessitate vita in sedentaria occupantur, ususque liquorum spirituosorum inter illos tam frequentissimus, hos edere et augere effectus, haud parum proficit. Sed valde lamentabile est, ut homines, literarum studia prosequentes, hunc ad morbum tam sint proclivi; nam studia nimia semper vitam sedentariam denotant; tam insigne est animi in corpus imperium, ut ejus ope omnes actiones vitales accelerari, et aliquo in modo impediri, possint. Ita hilaritas et gaudium sanguinis circuitum accelerant, secretionesque omnes promovent; cum, e contrario, moestitia et anxietas eos diminuere nunquam deficiunt. Homines vero inopia laborantes, qui quotidie, victum ad parvum acquirendum, labores sustinere impelluntur, praesertim isti, qui agros colendo victitant, non tantum genus inter humanum sanissimi,

mi,

mi, sed etiam felicissimi sunt. Tale industriae et laboris praemium ! Celeberrimus Van Swieten, inter exercitationem et ruris opera laudanda, haec profert : ‘ Dum duro labore victum ‘ sibi et suis comparet rusticus, quam firma ha- ‘ bet, omnia quam robusta ! Omnes aëris in- ‘ jurias spernit, durissimos vorans cibos digerit ‘ perfectissime. Otio et luxu perditus homo, ‘ quam debilis, quam misere vivit ! Minimam ‘ aëris ambientis mutationem sentit illico, et ‘ millenis gulae irritamentis, quae satietas non ‘ fames invenit, vix potest languentem excitare ‘ ventriculum.’

Quoniam igitur a nexu arctissimo ventricu- lum inter et reliquum corpus, viriumque effec- tus alias in systematis partes agentium, tam fa- cile ad hoc organum communicantur ; sic mo- dus, quo aliae agunt causae exposito non ad- modum difficilis esse videtur ; quales sunt *animi pathemata,*

pathemata, venus nimia, frequens parturitio, tempestas humida frigidaque, quae agere videretur spiracula cutis occludendo; denique labes haereditaria mortales hunc ad morbum proclives reddit.

SIGNORUM RATIO.

Anorexiae.—Priusquam hujus rationem dabimus, haud ineptum causas ex quibus pendet appetitus confiderare videbitur. Multis ex rationibus, satis apparet, quod ventriculum inter et superficiem corporis magnus intercedit consensus, et omni in exemplo partium remotarum consensûs, systematis nervosi interventu, oriri creditur; et ut consensus iste fibras inter moventes et sentientes talis fit, ut conditio certa, parte in una, conditionem similem parte in altera efficit. Hicce vero consensus a nexu qui hominibus in sanis appetitus inter et perspirationis

tionis

tionis itatum conspicitur, praecipue sese ostendit; hujusce vero specimen habemus, quod frigoris corporis ad superficiem applicatio, cum perspirationem non impediat, sed ei stimulo sit, ad appetitum movendum multum inservit. Cum igitur appetitus ventriculi a tono omnino pendere videatur, anorexiam vel appetitum prostratum contraria a causa pendere oportet, nempe, ab atonia vel actione ventriculi diminuta; nam causae omnes remotae ad effectum hunc producendum plane inserviunt.

Nauseae et Vomitus.—Hi plurimis in casibus eadem a causa pendere videntur, et prior tantum gradus atoniae major, posterior maximus esse videtur, quae ventriculum indirecte stimulans, motum peristalticum inversum vomitionemque efficit; nam multis in hominibus vomitio a liquoribus vitibus, omnique stimulo

plane carentibus, oritur, veluti oleis blandis et aqua calida, &c.

Inflationis.—Omnibus bene est notum, ut alimenta, quae in ventriculum sumimus, magnam aëris statu in fixo quantitatem illorum in compositione habent. Hic vero salivae, liquorisve gastrici ope, ex alimento extricatur. Sed ventriculi statu in sano effectus nulli nocivi unquam apparent, utpote cito iterum absorbetur. Sed si ventriculus statu in debili sit, absorbendi facultatem magna ex parte amittere videtur, et hoc in modo inflationis signa explicare conaremur.

Ructus et ruminationis.—Prior hac a causa oritur, quod aëris magna accumulatio ventriculum irritat, motumque inversum in eo producit, ostiumque superius recludit, per quod multum aëris elastici in oesophagum transit, et sic ad os ascendit.

ascendit. Posterior ab hoc oritur, ut solidæ cibi partes aëris ex quantitate cum illis implicati, fluidis leviores deveniunt, et itaque in ventriculi superficiem natant, cardiamque irritant, motuque antiperistaltico in oesophagum et exinde in os dejiciuntur.

Cardialgiae.—Ab hoc intelligitur sensus injundus ad cardiam relatus, plerisque in casibus ab acido vel materie acrida productus, a cibi in ventriculo remora, vel proclivitate quam in fermentationem acetosam transire habet. Nam plerisque in ventriculis invenitur acidum, quamvis pluribus hebdomadis animal carne fuit pastum. Hoc vero non semper accidit; igitur supponi potest, eum, prout res postulat, tantum formari. Sive ventriculo facultas sit hocce acidum immediate fecernere, sive saccharum primo fecernit, quod postea acidum devenit, haud facile intelligi potest; sed ut ita se habet ex analogia

logia

logia verifimile apparet. Nam animalia fana faccharum fecernendi facultatem habere videntur; ut in lacte, et aliquando in urina, ftatu in morbido, confpici potest. Hocce acidum nonnunquam magnopere adauget, materiem omnem acefcentem, hanc in conditionem convertens, vegetabilium faccharo, et nonnunquam liquoribus fpirituofis acidis cito evadentibus*.

Gastrodynia.—Haec, ut omnibus bene eft notum, plurimis a caufis oriri potest, ut inflammatione, inflatione, acrimonia, et fpafmo; fed, plerifque in cafibus, originem a fpafmo ducere videtur; utpote ftatum atoniae frequenter comitatur.

Alvi plerumque adftrictae.—Hoc a debilitate et actione ventriculi imminuta, ad intestinos delatis, et hoc in modo, motum eorum periftalticum

* Vide Jo. Hunter on the Animal Oeconomy.

cum diminuentibus, oriri quoque videretur, vel ex parva alimenti quantitate e ventriculo in intestinos ejus ob debilitatem emissa, vel a vomitu, qui hunc morbum aliquando comitatur.

P R O G N O S I S.

Cum hicce morbus, in junioribus, occurrat, cumque symptomata nondum magnum ad gradum accefferint, et causae remotae non diu fuerint applicatae, eventum fore faustum concludere possumus. Cum vero hominibus aetate proVectis occurrat, si causae remotae diu fuerint applicatae, praesertim si symptomata febris hecticae, hydropis, vel cachexiae generalis, sese ostendant, tali in statu eventum fore infaustum non concludere non possumus.

M E T H O.

METHODUS MEDENDI.

Hujus in morbi curatione, consilia medendi tria sunt :

I. Causas remotas diligentissime evitare.

II. Signa nonnulla, quae hunc morbum augere vel proferre solent, remove.

III. Tonum ventriculi restituere.

Quod indicationem primam attinet proprietas et ejus necessitas omnibus satis constant, ut istarum causarum applicatio constans, frequensque repetitio, hunc morbum protrahere, multumque augere conferre possunt. Igitur medici summa attentio huic indicationi adhiberi meretur.

II. Symptomata nonnulla, quae hunc morbum augere vel proferre solent, remove.

Anorexia et nausea.—Signa haec tollere, remediis vomitum cientibus, moris universi est. Haec vero tria consilia respondet, nempe ventriculi contenta evacuare, tonum ejus augere, cursumque fluidorum corporis ad superficiem promovere. Cujusmodi sunt infusiones multae amarae, veluti florum chamomeli, aut foliorum cardui benedicti, ipecacuanhae, &c. Horum vero omnium, multo efficacissima est ipecacuanha, medicamentum sane valde nauseosum, sed adeo mite et simul efficax, ut communi usui accommodatissimum videatur; sed, cum opus sit remediis emeticis validissimis, vitriolo albo et ex antimonio praeparatis, nobis confugiendum est; sed vomitio non saepius repeti debet, utpote usus ejus frequens corpus multum nocet, et ventriculum valde infirmit.

Vomitus.—Hic vero, nonnullis in casibus, ut conamen naturae salutiferum ad materiem aliquam nocivam expellendam conspici potest, et igitur prudenti a medico adjuvari debet; sed, cum non ita sit, ut vomitio frequens semper aegri vires multum exhaurit, tali in statu ad eam reprimendam summa ope niti oportet. Huic consilio varia in usu sunt remedia; haustus salini in statu effervescentiae exhibiti aliquando optime respondent. Infusum menthae forte, acetum distillatum parvis in dosibus adhibitum, vel aether vitriolicus, vel opium forma liquida, cum aromatico, ut aqua cinnamomi conjunctum, vel forma sub solida. Florum chamomeli pulvis a nonnullis ut remedium bonum laudatur, embrocationes e liquoribus spirituosis, aethere, laudano, &c. conjunctis, vel cataplasmata ex opio, regioni ventriculi admota, aliquando in usu sunt, vel cucurbitulae ficcae, vel cum ferro, vel, quod raro spes nostras fallit, enema ex opio,

in

in anum injectum. Sed duobus in casibus, cursu in clinico, hyeme proxima a Doctore Gregory tractatis, omnibus fere solitis remediis incassum adhibitis, in uno casu vomitio vesicatorii, in altero synapismatis, regioni ventriculi applicatione, penitus fuit submota.

Cardialgiae.—Ut effectibus acoris praevenire vel remove possimus, non tantum est necessarium acidum in ventriculo corrigere, sed praeterea proclivitatem ad eum gignendum impedire; quod ad cibum spectat, ex cibi acefcens usu abstinere debet aeger. Ciboque animali vesci, vel vegetabilibus parum ad fermentationem proclivis, ut pane bene fermentato. Quod potum vero attinet, liquores bene fermentati conveniunt, quales sunt vinum rubrum (*port*) dictum, et Madeira, cerevisia Londinensis, Anglice (*porter*) aetate provec̄ta et bene lupulata, aliquando optime respondet. Si ista vero aco-

rem in ventriculo augerent, tum ad liquores spirituosos cum aqua commistos nobis decurrendum est; et ex his spiritus vini Galliae, et liquor (*gin*) dictus, praestantissimi viderentur. Quantum ad medicamenta attinet, acori qui in ventriculo est occurrere, profunt absorbentia, talia sunt alkali vegetabile, creta; sed magnesia usta longe praestantissimum est remedium, utpote, cum acido ventriculi adjuncta, falem medium format, qui alvum leniter mollit.

Gastrodyniae.—Hocce symptoma levare aliquando profunt demulcentia; sed, ut saepius a spasmu oriatur, remediis antispasmodicis opus est, ut aethere vitriolico, alkali volatili, moscho, gummiq[ue] foetidis, et opio; sed omnium remedium longe praestantissimum est opium.

Alvi plerumque adstrictae.—Hoc saepe symptoma valde urgens est, et signa dyspeptica augere
multum

multum conspirat ; melius est huic diaetae administratione occurrere, ut frequens remediorum cathartorum usus intestinos multum infirmat ; huic vero accommodantur plurima vegetabilia liberaliter assumpta, fructusque maturi, potusque ex byne confecti, optimi videntur. His vero deficientibus, vel illorum usu haud idoneo, tum remedia ad cathartica confugiendum est ; et ex his mitiora tantum adhiberi debent, qualia sunt electuarium lenitivum, sales medii parvis in dosibus, pilulae stomachicae, oleum ricini, sulphur, &c. ; tinct. sacra remedium esse bonum videtur, ut ex amaritudine ad ventriculum roborandum inservire potest. Rhabarbum ore mansum aliquando ad alvum solvendum optime respondet.

III. Tonum ventriculi restituere.

Acida.—Omnia acida potestatem habere
 ventriculum

ventriculum roborandum videntur; sed ea tantum exhiberi debent, quae fermentationi non obijciuntur, qualia sunt fossilia, et ex his longè est praestantissimum vitriolicum; exhiberi potest aromatico conjunctum sub elixeris forma.

Metallica.—Ex metallicis, ferri praeparata reliquis praestare merito existimantur. Limatura vel rubigo hoc consilio exhiberi possunt, quod virtutes earum medicae per acidum viarum primarum extrahentur. Sal martis etiam remedium est bonum; omnium vero horum, tinctura martis optima esse videtur, ventriculo melius fedet, et facilius sanguinem ingreditur.

Aquae minerales, ferro imbutae, eisdem effectus edere videntur. Cum vero nobiscum consideremus, quam exigua ferri portio hisce contineatur, quantoque major alia sub forma iisdem bonis effectibus minime editis dari possit,

sit, curationes quas fontes chalybeati absolvere dicti sint, exercitationi, oblectamentis variis, aërique puro potius, quae usum eorum comitantur, quam ferro ex aqua soluto tribuere volumus.

Amara.—Haec plane remedia sunt tonica; sed amara et astringentia conjuncta, efficaciora sunt, alterutribus seorsum usitatis, talemque conjunctionem in cortice Peruviano invenimus, qui ab omnibus conceditur, remedium esse tonicum longe efficacissimum; huic consilio melius est sub pulveris forma exhibere; sed cum, ob ventriculi imbecillitatem, non ita exhiberi possit, alio in modo exhibeatur, ut tincturae, infusi, decocti, vel extracti, sub forma, cum rubigine ferri conjunctus, ut in elect. Peruv. robor. pharm. Nosocom. Edin. remedium praestantissimum est. Ab experimentis Dr Saunders *, Rigby,

* Vide Drs Saunders, Rigby, and Skeete, on the superior qualities of the red bark.

Rigby, et Skeete, demonstratum est quod cortex ruber longe melior, efficaciorque medicina est, quam cortex quem usu in communi habemus. Huic, itaque, cum purum obtineri possit, anteponeamus. Ab experimentis Dr Skeete etiam demonstratum est, ut magnesia, cum cortice communi adjuncta, eum longe efficaciorum reddere inferviat; praeterea magnesia acoem, si nullus in ventriculo sit, corrigere alvumque molliere utilis erit. Alia inter amara, in usu aliquando sunt radix columba, chamomelum, cortex aurantiorum, absynthium, gentiana, et centaureum minus; sed nulla haec remedia diu adhiberi debent, ob rationes jamjam memoratas.

Exercitium.—Nihil in toto systemate roborando, et concoctione favenda, ut exercitium tam multum proficit, quod ab omnibus medicinam facientibus, ut optimò jure, egregium remedium roborans habetur; et sine cujus ope,

omnia

omnia conamina nostra et remedia vana et inutilia forent. Sed opus sit, ut ejus in administratione cautelam adhiberemus; semper ante cibum assumptum uti oportet, nec diutius protrahi debet, tamdiu donec sudor lenis prorumpere incipit; post hoc vero, ab eo desistendum. Inter diversa exercitationis genera longe praestantissima sunt ambulatio et equitatio. Huic in Dyspepsia anteponeremus, ut a concussionibus repetitis, quas viscera abdominalia et thoracica recipiunt, hoc in morbo praecipue accommodata esse videtur. Navigatio etiam, utpote levissima exercitationis species, infirmis aegris optime accommodari videtur; appetitum saepe subito restituere observatur; fortassis, aliquid commodi, ex majore aëris puritate, et aequabili coeli maritimi temperie, oriri potest.

Summa aegri attentio praecipue necessaria est frigoris effectus, temperiemque humidam evitare,

vitare, ut nihil magis proclive est, symptomata omnia augere. Hanc ob causam apprime convenit ut aeger, tempestate hyemali, vestibus calidis se induat, crura et pedes praecipue bene obtegere; frictiones cutis pannis cum laneis vel strigile, remedia utilissima esse pollicentur. Remediorum istorum usus diligens omnibus plane constabit, utpote haud pauci, hocce morbo afflicti, non aliter curari possunt, quam migratione in regionem calidiorem.

De effectibus aëris ab puri usu lavationis frigidae, animique delectaminum, systema in totum, sed praesertim in ventriculum, orientibus, quorum vires neminem arte in medica imbutum latere possunt, hoc in loco differere omnino supervacaneum esse videretur. Denique, valetudo sustentabitur notitia sui corporis, observatione earum rerum quae res aut prodesse solent aut obesse, et continentia in victu omni-
que

que cultu, corporis tuendi causa, et praetermit-
tendis voluptatibus.

Quos in errores denique hoc in opusculo per
infcitiam juvenilem fuerim illapsus, eos, uti
spero lector candidus excusatos habebit.

F I N I S.

